



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Sunt ne opera secundae tabulae cultus Dei?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

cietati hominum necessaria sunt, in qua oportet
existere gubernatores. Ideo primum sancitur
lex de obedientia. Oportet & uitam, coniugia,
res defendi, esse contractus & iudicia. Ideo ad-
duntur cætera præcepta, Non occides, Non moe-
chaberis etc.

Sunt ne opera secundæ tabulæ cultus Dei?

DVPLEX obedientia est omnium sequen-
tium legum, impia & pia. Impia est, cum
homines sine timore Dei, sine agnitione
Christi et uera fide, præstant externa officia quæ
leges imperiorum honestæ flagitant, ut obtempe-
rant legibus ciuitatum suarum Plato, Aristote-
les, Marcellus, Cicero, aut similes. Hæc obedien-
tia, et si disciplinæ necessaria est, tamen nondum
est inchoatio præcepti diuini, nec est cultus Dei.

Alia est pia obedientia politica seu exterior
seu interior, cum uidelicet intelligunt pij, se diui-
na uoce subiectos esse parentibus & legitimis
magistratibus ac doctoribus. Itaque addunt timo-
rem Dei, obtemperant propter Deum, & agno-
scunt filium Dei saluatorem, et fide statuunt pro-
pter filium Dei placere inchoatam obedientiam.
Dictum est autem supra omnia præcepta ad pri-
mum

mum esse referenda. Sic fiunt opera politica cultus Dei, cum accedunt timor Dei, & agnitio filij Dei saluatoris nostri, & fides, cumque referuntur politica officia ad gloriam Dei, hoc est, ut Deo obediamus, & his officijs eius gloriam orne-
mus, ac noticiam propagemus aut conseruemus.

Hæc regula fiet illustrior propositis exem-
plis. Scipio & David gerunt res similes, uterque defendit suam rempublicam ingenti uirtute, & clarissimis uictorijs. Porro Scipio non habet hunc finem propositum, ut doctrina de Deo propagetur aut conseruetur, non refert suas uictorias ad illustrandam gloriam Dei. Sed David ideo suscipit certamina & labores, ut defensa patria conseruetur uera doctrina de Deo ac propage-
tur. Ita singulorum officia in tota uitæ societate intueantur Deum. Quia hanc ipsam ob causam ad societatem conditi sumus, ut alij alios de Deo & de rebus bonis doceant. Ideoque Deus tam uarijs uinculis & officijs homines inter se copula-
uit, ut illa ipsa officia sint exercitia confessionis, et mōstrent quid de Deo sentiamus. Huc pertinet dictum Christi, Luceat lux uestra coram homini-
bus, ut glorificetur pater cœlestis. Proponit finem ad quem referri omnes actiones debent, uidelicet, ut innotescat ac celebretur Deus. Et cū
inquit,

inquit, **L**uceat lux uestra, uult in ipsis factis conspici confessionem & sententiam nostram de Deo. **I**deo dimicat **M**achabæus, ut testetur se approbare doctrinam de Deo traditam populo Israel. **I**deo **P**aulus perfert ærumnas & supplicium, ut testetur se approbare **E**uangelium de filio Dei. **S**ic omnia nostra officia in societate ciuili sint directa ad confessionem. **O**stendant quid sentiant principes in imperando, senator in dando consilio, populus in obtemperando, singuli in contrahendo. **V**oluit **D**eus multiplices esse actiones uitæ, ut essent occasiones exercendi timoris Dei, fidei & confessionis. **H**æc est causa uera uarietatis actionum humanarum, quæ quidem fiunt cultus Dei, si sunt diuinitus præceptæ ac reguntur uerbo Dei, & accedunt timor Dei, & agnitio filij Dei ac fides, & referuntur ad gloriam Dei, ut dictum est. **M**onachi uituperant officia politica, eisq; detraxerunt honestissimum titulum ac ueram laudem, uidelicet cultus Dei. **E**t hoc præconium transtulerunt ad ceremonias aut monasticas superstitiones. **H**unc errorem sæpe reprehendunt **P**rophetæ, ut **O**seas, **M**isericordiam uolo, non sacrificium. **I**tem **E**sa. i. **I**udicate uiduæ etc. **S**ed contenti simus **C**hristi testimonio, qui honorificè ornat secundam tabulam, in-

quiens

quiens **Matth. 22.** **Secundum autem SIMILE**
HVIC, Dilige proximum sicut teipsum. **Con-**
sideranda est enim **Emphasis** in uerbo simile.
Haud dubie taxabat opinionem **Hypocritarum,**
 qui se efferebant propter **Ceremonias,** & leuius
 sentiebant de ciuilibus officijs, qualis arrogantia
 nunc quoque in **Monachis** est, & cæteris qui ma-
 gno precio **Missas** uendunt. **At** Christus mon-
 strat ueros cultus, omnes fatebantur primum
 præceptum concionari de cultibus **Dei.** **Hic** ad-
 dit **Christus,** simile esse præceptum de dilectione
 proximi. **Ergo** **Deus** non minus uult coli officijs
 secundæ tabulæ quàm primæ. **Hæc** uox **Christi**
 excusitet nos, ut maiori studio hæc ciuilia officia
 præstemus, quia inquit, hoc mandatum simile est
 alteri, docet flagitari hæc officia, & placere
Deo, non minus quàm ea, quæ continet prima ta-
 bula. **Sed** intueri **Deum** debent ac referri ad eius
 gloriam ut dictum est.

Quæ sunt parentum, magi-
 stratum, & aliorum gu-
 bernatorum officia?

Mirum uideri potest cur nominatim ex-
 presserit officium subditorum, cum ui-
 deatur prius fuisse dicendum de officio
 guber-